

ARTICULUS VI.

AN RELIGIOSUS POST EMISSAM PROFESSIONEM RELIGIOSAM, DESERTO RELIGIOSO ORDINE AC RELIGIONE CATHOLICA, TRANSIENS AD RELIGIONEM ALIAM IN IMPERIO GERMANICO TOLERATAM, FIAT SUI JURIS; SIBI POSSIT ACQUIRERE TEMPORALIA BONA, AC PRÆSERTIM RECUPERET BONA ET JURA, UT HEREDITARIUM, SUCCEDENDI IN FEUDO VEL ALIA, QUIBUS ANTE PROFESSIONEM RELIGIOSAM LIBERE RENUNTIAVIT?

Controversia hæc Germaniam præcisè spectat, in qua præter Religionem antiquam Catholicam, quæ per se in possessione semper fuerat, ac mansit, vi pacis Westphalicæ tolerantur duæ aliæ, Augustana, sive Lutherana, dein sic dicta Reformata, sive Calviniana, indulto utrique exercitio libero ac pleno. Moveri autem maxime cœpit postremis hisce annis, cum, transfugæ cujusdam de ordine mendicantium occasione, suam hic Wirceburgi hæreditatem reposcentis, sententiam negativam tueretur Cl. Jurisconsultus hujus Academiæ nostræ dissertatione *Discurs. jur. publ. abbrev.*, cui ex opposito respondere conatus Jurisconsultus Jenensis ex Protestantium numero. Priorem sententiam rursus vindicandam suscepit Bambergensis in *Dissert. de apostata jus in hæredit. aut feudo succedendi non amplius recuperante*: affirmativam pariter propugnarunt rursus alii Protestantium duo, Wirtembergicus alter, in propria scilicet causa, utpote apostata et ipse; alter Marburgensis in opere hac de re typis Francofurtensibus recentius divulgato. Cum vero hæc ipsa controversia a fontibus æque theologicis dependeat, operæ pretium censui, si ejus hic mentionem facerem.

269. *Dico I.* Religiosus professus apostata ipso transitu ad religionem aliam toleratam sive Augustanam vel Lutheranam, sive reformatam nullo modo sui juris fit; neque capax evadit jura et bona proprietarie acquirendi vel possidendi. Est communis ac indubitata Catholicorum omnium Theologorum ac Jurisconsultorum sententia.

Prob. I. Religiosus solemniter professus vi voti obedientiæ, quo se perfecte voluntati superioris subjecit, et vi subjectionis acceptatæ, est *personaliter* ac perpetuo suo monasterio ac superiori adstrictus; et quidem, si obligationem vinculi ex tali voto orti spectemus, arctius vel fortius, quam servus domino; ergo per desertionem sui ordinis ac transitum ad religionem aliam toleratam sui juris fieri non potest, æque parum quam servus fugitivus; sed, quoquo fugerit, religio seu superior religiosum sibi subditum tenet, vi tituli ipsam personam afficientis.

Nec refert, quod Protestantes religiosos ordines habeant ut supersticiosos, negentque, posse ex iis jus vel obligationem nasci; non enim Catholicorum jura, sanctiones, ordinationes (cum in utroque instrumento pacis, religiosa et Westphalica, hæc omnia relinquuntur salva Catholicis, exceptis iis, de quibus in instrumento pacis Westphalicæ) pendere possunt a placito Protestantium; præterquam quod temere ac sine fundamento vota religiosa superstitionis damnent, ut invicte commonstrant Theologi Polemici. Præterea

si Protestantes sibi concessum putent, suæ religionis placita, statum suum Ecclesiasticum, quidquid de hoc et illis sentiant Catholici, certis firmare legibus, ex iisque actus efformare legitimos, ut hoc ipso negent, eos a Catholicis annullari posse, eo quod tolerata sit ipsorum religio; ergo id quoque Catholicis fas erit, cum juxta regulam ab ipsis decantatam Protestantibus, exque pace Westphalica desumptam: *quod uni parti est concessum, alteri non censeatur prohibitum*, ac proinde religiosus professus semper manebit suo obstrictus ordini, ut omnia exigunt et clamant Catholicorum jura, ex ipsa voti indole, ipso non diffidente Bœhmero, *Instit. Jur. Can. ad Lib. V. Tit. IX. §. 4.*, item *Lib. III. Tit. XXXIV. de vol. et voti red.*

270. *Prob. II.* In pacis religiosæ instrumento §. IV. ubi celebre illud *Reservatum Ecclesiasticum* continetur, agiturque de Episcopis, Prælatibus, cæterisque beneficiatis Ecclesiasticis a Religione Catholica ad aliam transeuntibus, nihil eis remittitur aliud, quam *civilis infamiae* pœna; nullatenus vero votum, juramentum, subjectio ad superiores et prælatos; nec permittuntur eis bona et jura Ecclesiarum, vel redituum aliquid ex statu sacro perceptorum; ergo multo minus religiosus privatis remissum aliquid ex priore eorum obligatione fuit; vel restitutum de bonis et juribus præhabitis, minime vero de abdicatis.

Conf. FERDINANDUS I. anno 1555. in Augustanis Comitibus, in quibus pax religiosa proditi, §. *quoniam jam nunc et seq.*, reservavit prælatibus jurisdictionem in fugitivos: *Si Ecclesiastici a beneficiis, apostasia deficiant, atque contra foundationis tenorem et sacros Canones agant, tunc reliquis Ecclesiasticis non sit adempta facultas exercendi competentem sibi superioritatem, ac jurisdictionem, etc.*; ergo, non obstante suo ad aliam Religionem transitu, manent subjecti, jurisdictione enim et subjectio correlativa sunt; religiosi autem usque personaliter subditi sunt; ergo tanto amplius manent subditi, ad quamcumque transierint Religionem.

271. *Prob. III.* Vi pacis utriusque, religiosæ §. 6. ac Westphalicæ *Art. 3.*, sicut in genere toti parti Catholicæ, ita et monasteriis, prælatibus, ac religiosis ordinibus et superioribus salva relinquuntur jura omnia, quibus non fuit expresse alterutro in instrumento derogatum, tenetque hæc generalis regula respectu instrumenti utriusque: *contra jura Catholicorum nihil est concessum, quod non fuit nominalim expressum*; sicut et e contra: *quidquid Protestantibus non est expresse concessum, id omne venit prohibitum*: qua regula utuntur Jurisconsulti passim in materiis odiosis, cessionibus, renunciationibus, maxime quando illæ a possessore antiquo legitimo et certo in hujus impetratæ præjudicium; quid si usque adeo ab invito extortæ? tunc enim, plerorumque consensu stricta adhibenda interpretatio, nec ultra terminos clare expressos proferenda dispositio; *arg. L. 21. c. ad senatusconsultum Velleianum*, ac ratio per se patet; ne, secus, concessio uno eoque expresso, dici possit concessisse omnia. Atqui in neutrius pacis instrumento quidquam *expressum* legere est, quo clare derogatum esset juri prælatorum, vel monasteriorum in religiosos transfugas; ergo.

Conf. Tam transactio Passaviensis, quam pax religiosa disertis verbis confirmantur in instrumento pacis Westphalicæ jubenturque inviolabiliter servari,

Artic. 5. §. 1., exceptis iis, quæ de nonnullis controversis articulis hæc (Westphalica), *transacione, communi partium placito statuta sunt*; at vero pax religiosa non concedit, ut vidimus, libertatem religiosis fugiendi e monasteriis, deserendi fidem, ac multo minus solvit votis, dans facultatem jura et bona *proprietarye* possidendi, neque in instrumento pacis Westphalicæ hoc excipitur; ergo.

Adde: quod religiosus, sicut vi voti obedientiæ, quo se plene subjecit, semper Religioni ac prælato constrictus manet ex dictis, ita vi voti paupertatis perpetuæ, quo se secundum Catholica jura inhabilem reddidit ad aliquid acquirendum sibi, ac possidendum proprietarie, sine dependentia a superiore, ita et semper maneat inhabilis.

272. *Dico II.* Religiosus solemniter professus, ad religionem in imperio licet toleratam transiens, non recuperat bona et jura sive hæreditarium, sive succedendi in feudo, sive quæcumque alia, quibus ante professionem renunciavit.

Prob. I. Ex dictis enim transitu illo nullatenus sui juris fit, ac nequidem in agendo suæ voluntatis arbitrium; igitur vel vi solius voti obedientiæ, vel si ita velis, vi pacti subjectionis plenæ remanet incapax quidquam acquirendi sibi vel recuperandi, quod cesserat. Verum et votum paupertatis, ut dictum, resistit. Sed si præscindere etiam a voto velimus, sola sufficit *renunciatio pactitia*: Unde

273. *Prob. II.* Religiosus professus jurato bona et jura sua abdicavit, transferens ea in alios, idque plena libertate et solemnitate, quin simul juramento omnem abdicavit capacitatem ad ea iterum possidenda; itaque actus sicut ordinati, ita et valorem nacti sunt juxta Constitutiones Ecclesiasticas Catholicorum, decreta Pontificum, Conciliorum, placita Imperatorum, Principum, quos omnes potestate sua legislatoria velle privatam hominem exuere, cum id quoad hanc materiam in neutra pace sive religiosa sive Westphalica factum, insignis esset temeritatis; ergo standum est huic abdicationi ac renunciationi, licet postea insecuta sit Religionis mutatio.

Prob. Cons. 1º. Quia per se expediti juris est, ad renunciatum non esse regressum, *L. 14. §. 9. de ædil. Edict.* Et juxta *L. fin. C. de conditionib. insert.*, ubi: *quod semel repudiatum est, redintegrari minime concedimus, ait Imperator.*

2º. Quia cessio illa bonorum et jurium per insecutam religionis mutationem sublata dici nequit, cum transitus ab una religione ad aliam non sit *modus legalis acquirendæ, vel recuperandæ hereditatis, aut successioneis, vel juris, sed tantum illa non amittendi*, juxta instrumentum pacis Westphalicæ, *Art. 5. §. 35.* ubi de iis, qui mutare religionem volunt, statuitur, ut propterea *nec a communione, hæreditatibus, legatis, etc. arceantur.*

3º. Absurdum plane foret, et immortalium litium seminarium, ac contra instrumentum pacis Westphalicæ, ut dicitur, si una religio alterius vellet enervare jura, tollere decreta, constitutiones subvertere, cum ea ratione pax publica ipsumque instrumentum pacis Westphalicæ necessario subverteretur simul, quo vel maxime huic paci consulitur.

4º. De pactis et contractibus judicari debet juxta leges loci, ubi sunt

initi, L. 6. ff. de evict. Et vero quid alias firmum ac stabile foret? Posset quilibet transitu ad territorium aliud se liberare obligatione implendi contractum; nec esset quid absonum magis ac iniquum, quam actus Catholicorum in religione Catholica legitime gestos pendere a judicio Protestantium, cum hi pendere suos nolint a judicio Catholicorum.

5º. Quod leges Imperii publicæ statuerunt, trahi non potest ad res facultatis liberæ et politicæ, qualis est in hac materia renunciatio juris hæreditarii, feudalis, successorii; alias pariter contractus antecedentes omnes per secutam postea mutationem religionis rescindi deberent, quod nemo dixerit. Demum 6º. et simul Concl.

274. *Prob. III.* Vi pacis Westphalicæ *Art. 3.* ut jam insinuavimus, cuique statui sua salva jura esse debent, præter ea, quæ in Articulis sequentibus receperint immutationem: sed in toto instrumento pacis nihil reperitur dispositum, quo ecclesiasticorum, religiosorum apud Catholicos statuta, leges et juxta hæc jura celebrati actus, cessiones, renunciaciones, dispositiones quæcumque per transfugium redderentur irritæ, vel reviviscerent abdicata jura; ergo ea omnia manent in vigore, juxta regulam supra datam: *Contra jura Catholicorum nihil est concessum, quod non est nominatim expressum. Vel: Quod Catholicis non fuit nominatim ademptum, id omne manet intactum.*

275. *Obj. contr. Conclus. 1ª. et 2ª. 1º.* Non solum in instrumento pacis Westphalica toleratæ sunt religio Augustana et reformata, sed etiam *Art. V. §. 34. et 36.* asserta conscientiæ libertas, ac conceptis verbis disponitur, quod cuilibet religionem suam mutare liceat; ergo.

2º. Vi ejusdem instrumenti pacis mutatio religionis non obstat, quo minus quis in eodem permaneat statu civili, successioneis, privilegiorum, aliorumque jurium juxta *Artic. V. §. 35.* ubi: *Sive autem Catholici, sive Augustanæ Confessionis fuerint subditi, nullibi ob religionem despiciantur, nec a..... communione, hæreditatibus, legatis, etc. arceantur.*

3º. Juxta *Artic. V. §. 32.* ejusd. in id quisque restituendus est, quod intuitu et causa religionis amisit.

4º. In eodem instrumento *Artic. V. §. 15.* ponitur tanquam exceptio a regula, quod si persona Ecclesiastica transeat ad aliam toleratam, excidat possessione honorum et fructuum *Ecclesie*; ergo jura et bona reliqua ipsi integra permanent.

5º. *Art. XVII. §. 3.* perspicue statuitur, quod contra instrumentum pacis nulla deinceps valere debeant jura, sive canonica, sive civilia, nullæ religiosorum ordinum regulæ, juramenta, renunciaciones.

6º. Talis intuitu ac causa ordinis regularis juri suo renunciaverat; ergo hoc ordine deposito, reviviscit illi jus pristinum; quia cessante causa cessat effectus, ut habet axioma vulgatum.

7º. Profitentis religionem renunciatio imbibitam habet hanc communem clausulam: *rebus sic stantibus*, juxta *c. 15. de Jurejur.* ergo cum, insecuta religionis mutatione, *res non amplius sic stent*, sed maxime immutatæ sint; etiam mutata erit, sive cessabit renunciatio. Quod ex alia juris regula sumpta ex *L. 140. ff. de V. O.* confirmatur, ubi: *extinguitur obligatio, si in eum statum incidit, a quo incipere non potuisset.*

8°. Post Westphalicam pacem demum removenda sunt impedimenta omnia, quibus difficilis redderetur, aut retardari, vel impediri posset transitus ad aliam religionem toleratam: atqui vel maxime impediretur, si transiens nihil recuperaret pristini; non enim haberet, unde viveret; ergo. En potissima, si non pleraque, fundamenta partis contrariæ, uno ordine exhibita, ut, quibus ea innitatur, uno obtutu appareret. Nunc ad singula respondendum. Ac quidem

276. *Ad 1^{um}. R. 1°.* Religiosis, juxta probationes conclusionis, integrum non esse vi *pacis religiosæ* cum religioso ordine simul mutare religionem; nec consequenter vi *pacis Westphalicæ*, cum hæc religiosos a pace religiosa non excipiat. Quæ igitur *cit. Art. V. §. 34. 36.* dicuntur, relative sumi debent ad *ejusd. Art. §. 12.* ubi de laicis civiliter subditis sermo est; sicut et plerumque in §§. aliis; at ita a seculorum longo usu statibus civilibus personæ religiosæ non sunt subditæ. Unde dum in instrumento pacis mentio occurrit de monasteriis *subditis*, id cum grano salis oportet accipi, non de personis religiosorum, sed laicis ipsi monasterio subjectis, vel hujus territorio.

Neque *dicas*: §. 12. *cit.* conceditur laicis non servis emigrandi beneficium e territorio intuitu religionis; ergo et idem de religiosis tenebit. Nam

R. N. Cons. Lata est inter religiosos et priores differentia; laicis enim non servis, sive mere civiliter tantum subjectis competit per se jure gentium potestas emigrandi ac transferendi domicilium; idque integrum servatur laicis iis omnibus §. 12. *cit.* qui de rebus suis possunt disponere: at religiosi *personaliter* tam vi voti quam pacti loco, ac superiori, vel ordini obstricti sunt; suntque præterea incapaces ad disponendum; igitur pari cum laicis jure censi non possunt, nec comprehendi in concessione generali; quod, ut tradunt Doctores passim in *L. 15. ff. de injur. et c. 81. de R. I. in c.*, in concessione generali non ceantur comprehensa, quæ extraordinaria sunt, et speciatim merentur exprimi; sed cum religiosi *personaliter tam vi voti*, quod juramento æquivalet, *quam pacti* adstringantur Religioni, superiori, monasterio, secus ac laici, plane singulare quid est, ac proin debuisset exprimi, ut subtrahi possent superiori ac monasterio.

R. 2°. Permittamus gratis interim etiam religiosos *cit. Art. V.* comprehendi; non tamen ideo acta et transacta ante mutationem religionis inter Catholicos concident; ut enim supra dictum in probatione Conclus. pacta et acta inter Catholicos ad horum jura legesque æstimari debent; sed juxta has valet pactum initum inter profitentem et monasterium, renunciatio, donatio, abdicatio perpetua jurium ac bonorum et capacitatis ad ea iterum proprietarie possidenda; neque igitur libertatem suam, neque jura bonaque cessa recuperat, quæ absolute vel in monasterium, vel alios transtulit. Quin nec in toto instrumento pacis vel verbulo pacta illa et acta ipso transitu ad religionem aliam irritari dicuntur; ergo manent, sicut debent, suo in vigore, juxta superius dicta.

R. 3°. Rursus etiamsi pacis Westphalicæ suffragio data esset religiosis licentia mutandi religionem; non ideo vota cessare dici potest; pax enim illa, quantum ad novas Religiones, non est *approbativa*, sed *permissiva*: neque Catholicis principes adversantes Religiones ideo approbasse dicendi

sunt, dum illis locum cedebant in Imperio, cum hæc approbatio eorum vires excederet. Ac qui principes Catholicos, dum subscribebant paci, de religiosis ita pacisci tentassent, ut si transire vellent ad Religionem novam, hoc ipso liberi essent omni voto, qui eisdem nequidem dare facultatem poterant resumendi, deserto ordine, inter Catholicos laicalem statum? Hinc quod attinet dogma et conscientiam, ab hoc abstraxerunt Principes, id solum spectantes, ut pax civilis et harmonia civica restitueretur inter dissidentes partes; ideoque jura proprietarie possessa, quæ dogma non concernebant, transeuntibus ad aliam religionem laicis salva voluerunt. Unde, etiamsi in data licentia mutandi religionem comprehendi diceremus religiosos, plus non sequeretur, quam eos inter novæ religionis sectarios, ad quos transierunt, frui quidem civili externaque communione civica; at non ideo liberos esse in conscientia; neque recuperare jura, quæ ante mutationem religionis, absolute ac valide cesserunt, dominio in alios translato.

277. *Ad 2^{um}. R.* Totum, quod citato loco statuitur, est, ut, quo maneat libertas integra, nemo ex capite mutatæ, vel mutandæ religionis habeatur *civiliter infamis*, nec privari possit bonis, cæterisque juribus, excludi ab hæreditate, legatis, etc., ne alioquin frustra esset asserta libertas, cum eam impediret plurimum hæreditatum aliorumque jurium privatio. At (permissio iterum gratis, hoc Art. religiosos comprehendi) nihil inde elici potest pro præsentis controversia; non enim religioso tali ob *mutatam*, facta professione, religionem, vel *mutandam* negatur hæreditas aliaque jura, sed quia his omnibus perfecte jam cessit ante religionis mutationem, iis in alios absolute et valide translatis. Deinde tantum dicitur, ut *non habeantur despiciatui*; ergo etsi infamia civili careret religiosus transfuga, non ideo, pro interiore statu, votorum vinculis liber et sui juris fit.

278. *Ad 3^{um}.* Eadem est responsio: nec enim asserimus, aliquem ex capite *desertæ Religionis* sua privari hæreditate, jure succedendi, feudali, vel aliis, sed, quia ante omnem mutandi religionem voluntatem iis spontance, perfecte, publico jure et fide renunciavit.

279. *Ad 4^{um}. R. D. Cons.* Quibus quis ante transitum ad religionem aliam non renunciavit *C.* si renunciavit, uti profitentes omnes jurato pro Deo renunciant *N.* Aliud est de clericis beneficiatis, de quibus in *cit. Art.* sermo est, qui præter beneficialia bona retinent patrimonialia cæteraque jura omnia, nec, amplectendo statum clericalem, his renunciant, sicut renunciant religiosi; hinc, etsi redditibus priventur Ecclesiasticis, alia tamen ipsis salva esse jubentur. Sed si tamen beneficiatus, de bonis patrimonialibus vel juribus propriis donasset Ecclesiæ, vel consanguineis ante mutationem religionis, postea hac insecuta non rescinderetur donatio, nec fieret irrita; ergo neque illa renunciatio religiosi.

280. *Ad 5^{um}. R.* Clausulam illam pacis procedere tantum de capitibus ab ea determinatis, ne variis modis illarum possit executio eludi; secus enim si generatim loqueretur, non possent non inde absurdissima sequi, contra, ac ipsi volunt Protestantes; posset enim Catholicus etiam secularis, qui

ultro renunciavit, aut cessit bonis quibusdam, vel juribus in consanguineorum, fratrum, aut extranei favorem, revocare illa, si postea transiret ad religionem Augustanam, vel reformatam; ac similiter posset, qui a religione protestantica transiit ad avitam Catholicam revocare donationes, cessiones in cujuscumque denum favorem factas; item eodem modo omnes lites pendentes, res judicatæ, appellationes etsi antea intimatæ, pacta, contractus possent sola religionis mutatione subverti ac rescindi, quo nihil absurdius. Unde clausula illa id solum vult, ut ne *Religionis pretextu* studiose excitentur lites, inducantur exemptiones, renunciaciones, regulæ, etc. At quandoquidem jurisconsulti Protestantium ad clausulam hanc, quæ quidem *vim transactionis* habet juxta ipsosmet, tam animose provocant, qua igitur fide renunciaciones, cessiones eorum tam tenaciter tuentur, qui ab ipsis ad avita majorum suorum sacra Catholica redeunt? cur exhæredant eos, privant juribus contra diserta et plana verba *Art. V. §. 35.* ac, cum a primogenituræ, vel majoratus excludere juribus omnino non possint, minuunt tamen, coarctant, ut recentia ac notoria exempla docent; ac vel in Principe, cui duræ admodum conditiones impositæ, ab ipsisque subditis præscriptus ordo futuri regiminis?

Ad 6^{um}. R. N. *Cons.* Licet enim occasione assumpti ordinis jura abdica-verit, non ideo hæc illi redeunt deserto ordine et mutata religione juxta probat. Concl. Præterea antiqui juris est, ut, quæ semel sunt constituta, tamen durent, licet existat casus, a quo capere initium non poterant, *L. 83. ff. de R. J.* Neque huc quadrat axioma illud: *cessante causa cessat effectus*; hoc enim solummodo tenet de effectu, qui actu, sive, ut aiunt Philosophi, in esse et conservari, pendet a sua causa, ut lumen a sole; de alio effectu suam causam egresso et absoluto tam in physicis, quam moralibus aperte falsum est; numquid enim extincto patre extinguí debet filius? Atque ita se res in nostro casu habet. Sic et qui vendit libere et valide absolute rem suam, secuta traditione, postea ad hanc regressum non habet, etsi cessat id, cujus occasione vendidit, velut necessitas; idem est de donatione, aliisque contractibus et pactis absolutis, qui firmi perstant, etsi postea causa motiva, vel impulsiva desinat. Unde licet daremus gratis, vi pacis Westphalicæ concessam esse hujusmodi libertatem transitus, quin liberalissime permetteremus, ipsa etiam vota hoc transitu rescindi, ne hac tamen quidem ratione recuperabit religiosus transfuga propria sua, solemní ac legitima voluntate amissum ac translatum jus; quia, quod plene, absolute, legitimo modo fuit translatum ab uno in alium, non amplius a transferente pendet.

281. Ad 7^{um}. R. N. Clausulam illam inesse contractibus realibus et perfectis, nisi expressa in lege fiat exceptio, quidquid sit de contractibus consensualibus, imperfectis, stipulationibus, de quibus aliquando loquuntur leges, hancque inferunt clausulam. Perfectus vero contractus est, qui ita actu transfert jus in alium, ut nihil juris priori possessori remaneat; cujus ratio est aperta; quia si is, qui jus suum in alterum cum omni causa transulit, nihil sibi reservavit, hoc ipso omni juris titulo caret, quo posset revindicare translatum; is vero, in quem jus est plene ac perfecte translatum; de eo suo arbitratu potest quovis modo disponere, etiam illud destruendo. Talis vero est contractus religiosi jura sua transferentis in alterum,

dum jus suum omne præhabitu, aut quod præhabere poterat, sine ulla restrictione, pro quovis eventu, perpetuo cedit, transfertque in alium, nihil penitus juris remanente in professo, ut nequidem instar donationum inofficiosarum rescindi possit illa religiosi cessio, juxta Catholicorum jura legesque, a quibus ea etiam æquiparatur donationi mortis causa, quæ irrevocabilis est morte secuta. Non ergo hic datur locus pœnitentiæ, nec locum habet citata clausula. Addita regula ex *L. 140 cit.* pariter de stipulatione loquitur nondum perfecta, de qua plura vide apud *BOECKH ad Lib. III. Decr. Tit. 49.*

282. Ad 8^{um}. R. 1^o. Admissa gratis regula, tantum procedet de personis, quibus in pace Religionis et Westphalica permissum mutare religionem, ad quas religiosi, ut dictum, non pertinent.

R. 2^o. Id solum sequeretur, talibus causa *mutandæ* religionis, non esse ponenda obstacula; non vero irrita propterea reddi, pacta, conventionesque omnes legitimas ante mutandæ religionis propositum factas, nec consequenter renunciaciones professi.

R. 3^o. Si transituris ad religionem aliam nulla sint interjicienda obstacula, cur igitur Protestantes amplexuris sacra avita Catholica, tam multa et gravia opponunt, exhæredationem, privationem bonorum quorumvis et jurium, ut experientia comprobat?

283. Dico III. Cessio juris tam hæreditarii, quam successionis in feudo, etiam antiquo ex pacto et providentia, facta a professo etiam nocet et præjudicat liberis, si quos in religione Protestantica post transitum ad illam suscepisset.

Prob. I. Liberis enim nondum natis nullum jus competere potest, sicuti non enti nullæ qualitates; ergo etiam jus, cui pater renunciavit, antequam nascerentur liberi, iis nequit reviviscere; reviviscentia enim supponit ante existentiam, at respectu non natorum nullum existebat jus. Deinde, ut ait *HUGO GROTIUS de Jur. Bell. et Pac. Lib. 2. c. 7.*, inter natos et nascituros illud interest, quod nascituris nondum quæsitum sit jus, atque ideo auferri iis possit.

Prob. II. Jurisconsultorum consensu illi, ad quos fideicommissum est ex testamento devolutum, possunt inter se conventionem mutua istud tollere, quin contra tale factum parentum postea liberis et hæredibus detur actio *L. 120. ff. de Legat. 1.* quia, quæ ratio redditur *L. 43. C. de contrah. stipul.* non tantum nobis, sed et hæredibus nostris stipulamur; ergo multo magis renunciatis juri suo, etiam succedendi in feudo antiquo, liberis nequidem natis præjudicat.

Prob. III. Liberi succedunt solum et præcise in jure, quod habet pater: atqui quo tempore nascebantur, nullam jus succedendi pater habuit, utpote cui perfecte ac valide renunciavit juxta *Concl. præc.*; ergo postea nati in eo amplius succedere non possunt, sed manebunt perpetuo exclusi.

Prob. IV. Licet liberi succedant in feudo antiquo ex intentione et providentia primi acquirentis jure sanguinis, non hæreditario et patris, per patrem tamen ad liberos hoc jus derivari debet, neque succedunt liberi, nisi mediante patre, a quo jus sanguinis accipiunt, in feudo: sed quo tempore

renunciabat pater, nulli extabant liberi; ergo nec in illos derivari ante cessionem poterat; postea vero cum nascerentur liberi, rursus in eos jus derivari non potuit, quia tunc pater ipse eo carebat, utpote in quo vi renunciationis liberæ et validæ ante præcisum fuit.

284. *Obj. contr. Conclus. 3^{am}. 1^o.* Professus renuncians eo tempore non cogitabat de liberis; ergo ejus renunciatio extendi non debet ad casum liberorum supervenientium non præcognitum, *L. 35. ff. de Pact. L. 19. ff. de inoffic. Testam.* Sicut et donatio alia eo non extenditur, ut proinde superveniens liberorum natiuitas, de quibus donationis tempore non cogitatum, causa justa sit revocandæ donationis, ut communiter Jurisconsulti, *arg. L. 8. C. de revoc. donat. aliisque.*

2^o. Quod ab antecessore actum est circa fideicommissa, successoribus ex familia nocere non potest *L. 69. §. 3. ff. de Legat. 2.* Sed par est ratio de feudo gentilitio, vel familiæ. Quin,

3^o. Si jus, quod alioquin competiisset filio, si eo usus fuisset, conservatur nepotibus per *L. 5. §. fin. ff. si tabulæ Testamenti nullæ*; quanto magis conservari oportet filiis bona feudalia familiaria, etsi iis pater usus non fuerit.

4^o. Etiam liberi nondum nati, ubi de eorum favore et commodis agitur, pro jam natis habentur, *L. 7. ff. de stat. homin.*; ergo sine effectu inter rationes conclusionis ponitur hoc discrimen inter liberos jam *natos, et nascituros.*

5^o. Feudum familiæ absque consensu omnium, quorum interest, alienari non potest; imo revocari potest sic alienatum; sicut fideicommissum familiæ hoc modo alienatum, *L. 11. C. de fideicomm.*: sed in nullo fere discrepant feudum et fideicommissum familiæ. *Subs.* Atqui cum feudum alienaretur, illi renunciando, non poterant consentire liberi nondum nati; ergo.

285. *Ad 1^{am}. R. N. Ant.* Nam emittens vitæ regularis votum, sive professionem religiosam scivit usque adeo liberos nec posse amplius subsequi, nec debere; hujus enim ipsum satis admonebat ipsa religiosa professio vi voti castitatis et continentie perpetuæ; qua igitur ratione negari potest, eum cogitasse de liberis, omnique favori juris renunciasse, saltem in genere? Hinc et *disparitas est* quoad donationem factam a laico; quia enim donans de liberis futuris non cogitasse supponitur, præsumit jus; eum sub conditione: *nisi supervenerint liberi*, donare voluisse, quæ præsumptio fundatur in *pietate paternâ*, vi cujus nemo communiter extraneum solet præferre liberis; item in *æquitate naturali*, quæ dictat proprium sanguinem esse præferendum extraneo.

Ad 2^{am}. R. Lex cit. et paritas procedunt in supposito, quod videlicet successor jam natus, ac proinde ipsi jus vere quæsitum fuerit; nondum enim nato posse inferri præjudicium, liquet ex probationibus conclusionis.

Ad 3^{am}. R. Lex ibidem allata non est ad rem; non enim de *renunciata*, sed unice de *non petita* bonorum possessione agit, quæ diversa sunt; neque enim, quod petere omiserit pro se, ideo filiis præjudicare voluisse præsumi potest; sed rectius contrarium ob pietatem paternam, atque æquitatem naturalem præsumi debet.

Ad 4^{am}. D. Ant. Liberi nondum nati, jam tamen *existentes in materno*

utero pro natis habentur quantum ad favorabilia C. nequidem tum sic existentes, quando fiebat aliqua renunciatio *N.* De prioribus in *L. cit.* sermo est. At aliud est de liberis, qui tempore renunciationis neque concepti, neque potuerunt concipi, neque debuerunt postea.

Ad 5^{am}. R. N. suppositum, quod liberorum nondum natorum consensus fuerit necessarius; cum enim tunc non existerent, imo existere non possent, nullum iis jus quæsitum fuit; ergo etiam neque necessarius fuerat eorum consensus.

CAPUT II.

DE DOMINIO LAICORUM.

Hi juxta dicta *Dissert. huj. princ.* varie dividuntur ab Imperatore *Instit. de Jur. Person.* unde et varie de iis nascitur quæstio. Agemus vero hic præcipue de dominio conjugum, filiorumfamilias, pupillorum, minorennium, atque horum occasione, ob materiæ nexum, de tutoribus et curatoribus.

ARTICULUS I.

QUALE SIT DOMINIUM CONJUGUM CIRCA VARIA EORUM BONA?

Non est hic quæstio de jure quod conjux habet in conjugem, estque nihil aliud; quam jus utendi conjugis corpore ad honestam generationem prolis, quod jus ad servitutum quibusdam referre placet. Strictum dominium non est. Hinc dum in Scriptura vir dicitur dominus uxoris, fit ideo, quia est caput familiæ, et mulier illi subjecta; vel si uxor appellatur domina mariti, ut *L. 41. pr. ff. de Legat. 3.* solum ita honoris causa dicitur. Solum hic de conjugum bonis fortunæ sermo est.

286. *Dico.* Bona dominio conjugum subjecta ad triplicem classem referri possunt; alia sunt, quæ antecedunt matrimonium, ut sponsalitia largitas, arrha; alia, quæ illud comitantur, ut dos, contrados, sive donatio propter nuptias, parapherna; alia, quæ subsequuntur, ut donum matutinale, æquæstus; de quibus nunc singulis ordine.

287. *I. Sponsalitia largitas est donatio inter sponsos facta intuitu futuri matrimonii.* Secuto matrimonio est in pleno dominio accipientis. Ratio est; quia talis donatio est nullibi irritata, et est liberalis; ergo secuto matrimonio (nam hodie, correcto antiquo jure, constitutum est, ut omnibus hujusmodi donationibus insit tacita conditio, si matrimonium sequatur) velut conditione impleta, donatio hæc alias conditionata transit in absolutam. Si vero non sequatur matrimonium, idque ex culpa donantis,